



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1666.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Par fatum subiit Carolus Dux Mantuae,
relicto ex Clara Eugenia Austriaca hærede,
unico Ferdinando Carolo puerō tredecenni.
Inter Sinas obiit dierum & meritorum
plenus P. Joannes Adamus Schall Soc. Jes.
Germanus, patria Coloniensis, postquam
per annos 43 labore & fructu incredibili de-
sudasset in propaganda & excolenda Eccle-
sia Sinensi. Tanti nominis fuit apud eas
Gentes, ut ipse Chinorum Imperator, quem
vel videre in grandi ponitur felicitate, di-
gnatus sit saepius demissâ tantisper majesta-
te ad ejus aedes divertere. Defuncto paren-
tavit ritu splendidissimo submissus ab Im-
peratore Mandarinus.

ANNVS 1666.

Tentata est à Venetis hoc anno Cydonia,
ut Turcæ ab obsidione Candiae divorce-
rentur; sed insultu inutili, quem tamen pau-
lò post compensavit præda duodecim na-
vium plenarum commeatus, quâ classis Ve-
netæ Præfectus in Malico sinu potitus fuit.
Candia præterea novo milite firmata ad-
versus Barbaros.

Hollandi ope Gallorum pacem extor-
quent ab Episcopo Monasteriensi, non ta-
men victoriā ab Anglis, à quibus ad oram

-EOD-

¶. ¶.

Tamesis

Tamesis tantam iterum sunt cladem passi ; ut per omnia pene Oceanii littora dispersae natarent reliquiae diffractarum navium.

In Polonia adactus est Lubomirskyus cum fœderatis ad petendam à Rege Casimiro pacem, & deprecandam factorum veniam ; evicit nihilominus, ut meditata successoris in regnum intrusio proscriberetur, & integra Ordinibus assereretur libertas , eligendi post abdicationem vel mortem Regis ad coronam, quem maluissent Poloni.

Regina Christina remeavit in Sueciam , ut interesset Holmiæ Regni comitiis , pro Regis Caroli inauguratione , & reservata sibi iura sarta rectaque tueretur.

comes Ballassus Rebelligis Ungarus post incensa & occupata oppida plurima, opere que Turcarum nequicquam imploratam à regni Palatino cæditur & Viennam ad pristinos carceres remittitur.

In Hispania Everardus Nitardus Soc. Jes. Reginæ Confessarius ex dispensatione Pontificis , ad summi inquisitoris locum promovetur.

Civitas Bremensis post tolerata incommoda plurima ab Imperio tandem avellitur, & Sueco subjicitur.

Londini improviso incendio conflagrant domorū 15000, præter Ecclesiās 84, aliásq; ædes complures usui publico destinatas.

Die 5 Decembris ingressa est pompâ solenni Viennam Margarita Infans Hispaniæ sponsa Leopoldi Imperatoris.

ANNUS 1667.

Diem Romæ supremum obiit 22 Maii Alexander VII. Pontifex Maximus, cui sequenti Junio suffectus Julius Cardinalis Rospigliosus, qui congruum placidis suis moribus assumpsit nomen Clementis IX. ab hoc Pontifice concessum Societati Jesu & PP. Augustinianis recitare ex præcepto Officium Conceptionis immaculatæ per totam octavam, quod postea fieri mandatum in omnibus locis ditioni Pontificiæ in temporalibus subjectis.

Delusus tandem longo tractatu involucro Venetis arctius premi incipit Candia à Turcis.

Mense Mayo movet cum magno Exercitu in Belgiū, quod sibi deberi prætendebat Uxor & Delphini nomine, Ludovicus Rex Franciæ, & intra breve tempus aspirante belli fortuna secunda, quâ vi, quâ aliis artibus in potestatem redigit Tornacum, Aldenardū,